INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXXVII
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXXVIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. JULII MARQUARDT** COMMENTATIO
DE NATURA HOMINIS PHYSICA ET MORALI QUID CLEMENS ALEXANDRINUS DOCUERIT.
PARTICULA I.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNENIS (G. RIEBENSAHM).
1897.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. GUIL. WEISSBRODT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Inter veteres apologetas Titus Flavius Clemens Alexandrinus insigni excellit doctrina litterarumque scientia. Nec mirum; quos enim thesauros eruditionis in Graecia, Italia, Syria, Palaestina, Aegypto invenit, eos jam adolescens assiduo studio et ingenti ingenio effodit suosque fecit ac proprios; quos alicubi versari audivit sapientiae doctores, eos discendi cupidus adiit. Neque tamen prius „conquievit, quam in Aegypto latentem indagassset“ [1]) Pantaenum, scholae catecheticae Alexandrinae praesulem celebrem, a quo summa Dei sapientia adeo imbutus est, ut sine mora nomen daret Christo. Quantum deinde in litteris divinis profecerit, quantum doctrina christiana valuerit Pantaeni adjutor (c. 190) et successor (c. 200), id non solum eximia illa laus et gloria, qua longe lateque floruit, sed etiam praeclara ejus opera [2]) testantur.

Clementi christiano Christus, *Λόγος* divinus et incarnatus, jam unum est et omnia. „Quemadmodum enim patriarchis et per Moysen et prophetas populo Israelitico se revelavit eumque praeceptis divinis instituit, sic in novo testamento se ipsum manifestavit suumque populum a facie ad faciem edocuit et educavit.“ [3]) „Principium igitur doctrinae habemus Dominum, qui genus humanum per prophetas et per evangelium et per beatos apostolos ab initio ad finem eduxit cognitionis. Principium autem non poterit manere principium, si quis alio (principio) sibi opus esse putaverit. Qui

---

[1]) Strom. I, 1 pg. 322 (Editio Potteriana, Oxonii 1715, apud Migne P. gr. VIII—IX (1857) repetita.

[2]) Clementis opera consensu omnium censentur esse haec: Cohortatio ad Graecos (*Λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας*), Paedagogus (*Παιδαγωγός*), Stromata (*Στρώματα* sive *Στρωματεῖς*), Quis dives salvabitur (*Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*).

[3]) Paedag. I, 7 pg. 129 sqq.; ibid. cc. 3. 7. 11. 12. Cf. Cohort. 1 pg. 4; 9 pg. 70 sq.; 11; 12.

vero per se ipsum fide dignissimus est Dominus, ei jure atque merito eadem fides habetur in scriptura et voce dominica.“ Itaque „voce Domini probamus, quod quaeritur, quae fide magis est digna quam quaevis demonstratio, quin etiam sola est demonstratio.“ [4]) Vehementer Clemens haereticos reprehendit gnosticos, „qui ea, quae scripturis divinitus inspiratis conveniunt, tradita a beatis apostolis et magistris, sua sponte eludunt, doctrinas humanas opponentes divinae traditioni . . . Neque enim illos (apostolos et magistros) superare potuerunt sapientia, ita ut eis aliquid adderent, quae ab illis vere dicta sunt, sed bene cum ipsis actum esset, si discere potuissent, quae tradita sunt. Solus igitur gnosticus (vere christianus), quum in scripturis divinis consenuerit, apostolicam et ecclesiasticam servans dogmatum regulam, rectissime vivit secundum evangelium.“ [5])

Sed is ipse qui ita scripsit Clemens jam a prima adolescentia philosophiam graecam nimis animo imbiberat eamque per totam vitam coluit studiosius, quam qui „scripturis divinitus inspiratis“ et „traditioni divinae“ non „humanas doctrinas“ aut „opposuerit“ aut „addiderit“ saltem, et ab „apostolica et ecclesiastica dogmatum regula“ ad scita et praecepta philosophorum saepius non deflexerit. Revera Clemens ex philosophia Graecorum, praesertim Platonis et Stoicorum, nonnunquam Aristotelis quoque, permultas et graves sententias sine ulla dubitatione assumit et assumptas doctrina christiana permiscet, notissimo illo Philone persaepe usus interprete. Quid quod vel illis operibus nimium tribuit, quae Judaei Alexandrini fallaciter et fucose composuerant, ut demonstrarent, a Judaeis esse profecta, quaecunque de se praedicaverant Graeci. Affero Aristobulum (c 150 a. Chr. n.), quem Clemens ipse refert [6]) „multis libris probasse, philosophiam peripateticam ex lege mosaica ceterisque prophetis pendere.“ Hujusmodi opinione ductus Clemens non dubitat dicere, Graecorum philosophos fuisse eos, quos Christus Joh. 10, 8 intellexerit latrones et fures, neque ullam occasionem omittit, quin ostendere studeat, verissima quaeque et optima eos „ex prophetis Hebraeis abstulisse“, ablata vero „sibi ipsis tamquam propria dogmata asseruisse; et alia quidem eos etiam adulterasse, alia imperite et sophistarum more interpolasse.“ [7]) Ita Clemens philosophorum veritatem negavit, servavit veritatem philosophiae.

Nec vero omnia, quae philosophi docuerunt, aut transscripserunt iidem aut depravarunt, sed „alia ipsi invenerunt.“ [8]) Nam coelestis ille magister et paedagogus, *Λόγος* divinus, tantum abest, ut solos Hebraeos, antequam ipse de coelo descenderet, divina institutione erudierit, ut omnes omnium temporum homines et populos doctrina coelesti instruxerit. „Unus est enim agricola, qui inde a constitutione mundi in eam, quae est in hominibus, terram ex alto inseruit semina nutrientia (*θρεπτικὰ σπέρματα*) et *Λόγον* usquequaque quasi pluviam fecit defluere.“ [9]) „Quapropter Deus praecepta dedit et priora et posteriora ex uno fonte hauriens, nec eos, qui ante legem erant, sine lege esse sinens, nec eos, qui non audiebant philosophiam barbaram, effrenatos ferri permittens. Nam illis quidem praecepta dedit, his vero philosophiam.“ [10]) Nonne „Graeci, qui quasdam Verbi divini quasi scintillas (*τὰ μάλιστα ἐναύσματά τινα*) acceperunt, quum aliquam veritatis partem

---

[4]) Strom. VII, 16 pg. 890. Cf. V, 1 pg. 646. II, 11 pg. 454.

[5]) Strom. VII, 16 pg. 896 sqq. Cf. III, 4 pg. 527. II, 11 pg. 457.

[6]) Strom. V, 14 pg. 705.

[7]) Strom. I, 17 pg. 569 sqq.

[8]) L. c.

[9]) Strom. I, 7 pg. 337.

[10]) Strom. VII, 2 pg. 834. „Philosophia barbara“ a Clemente intelligitur, quae in sacris libris Hebraeorum inest de rebus divinis et humanis doctrina, cujus quidem elementa antiquissimae quaeque gentes optime servaverint et tradiderint.

pronuntiaverint, vim ejus non occultam attestantur?"[11]) „Quemadmodum igitur lex Hebraeos, sic Graecos philosophia ad Christum eduxit (ἐπαιδαγώγει)", [12]) quae „regiae doctrinae christianae viam aperuit[13]) animosque praeparavit ad eam, quae est per Christum, perfectionem." [14]) Neque ii quidem, qui jam religionem christianam profitentur, carere possunt philosophia; qua qui non est excultus atque expolitus, nec errores convincet nec afferet argumenta, quibus persuadendi inest necessitas, nec a simplice fide (πίστει) progredietur ad scientiam (γνῶσιν). [15])

Qui eam quam dixi opinionem de philosophia graeca habuit, facile eo adductus est, ut huic ipsi auctoritatem tribueret justo majorem. Quapropter mirari vix possumus, quod Clemens ex philosophia Graecorum tot fere decreta et praecepta petiit, quot petiit ex sacra scriptura et doctrina ecclesiastica. Verum quidem est, eum illa potissimum philosophorum dogmata et argumenta assumpsisse, quae sibi a veritate christiana non multum abesse visa sint vel ad eam explanandam idonea atque apta; sed persaepe sacrae scripturae et philosophiae testimoniis sine omni delectu et discrimine usus est et doctrinae ecclesiasticae opiniones inseruit alienas, neque solum argumenta et definitiones ad probanda dogmata christiana ex philosophia repetiit, sed etiam dogmata christiana ad sententias philosophorum reduxit. [16])

Haec praemittenda putavi, ex quibus videri possit, quam probandi viam et rationem Clemens quum in universa theologia tum in anthropologia inierit. Jam proferamus singula eaque accuratius de re proposita explicemus, quae qui de Clemente jam scripserunt, summatim tantum et breviter tractaverunt. [17])

I. De corpore et anima eorumque necessitudine.

Homo, „ut opinor, similis est centauro illi Thessalico, compositus ex parte rationis compote et parte rationis experte, anima et corpore." [18]) Has duas hominis partes, animam inquam et corpus (ψυχὴν καὶ σῶμα), neque plures Clemens plerumque nominat, ubi de homine agit, easque in unum comprehendit, quotiescunque presse definit, quid sibi de natura hominis videatur; velut hominem ideo

---

[11]) Cohort. 7 pag. 64.

[12]) Strom. I, 5 pg. 331.

[13]) L. c. pg. 366.

[14]) Strom. VI, 17 pg 819. Cf. ibid. 5 pg. 761 sq.; 8 pg. 773; 14 pg. 795; 17 pg. 825. I, 5 pg. 331 sqq.

[15]) Strom. I, cc. 1—2; 5-10. VI cc. 10—11.

[16]) Uberius de hac re disputavit Fr. J. Winter in egregio opere: Die Ethik des Clemens von Alexandrien (Leipzig 1882), Einleitung (pgg. 1—18), I. Capitel (pgg. 19—53).

[17]) Nomino Reinkens, De Clemente presbytero Alexandrino etc. Vratislaviae 1851 pg. 284 sqq.; Cognat, Clément d'Alexandrie etc. Paris 1859; Ritter, Geschichte der christl. Philosophic, I. Theil, Hamburg 1841 pg. 421 sqq.; Huber, Die Philosophie der Kirchenväter, München 1859 pg. 144 sqq.; Winter l. c. II. Cap. pg. 53 sqq. Quorum de quaestione nostra judicia inveniuntur apud Ziegert, Die Psychologie des T Fl. Clemens Alexandrinus (Inaugural-Dissertation), Breslau 1892 pg. 4 sqq. — Ziegert ipse in eo maxime peccasse videtur, quod argumentorum momenta ex fragmento duxit, quod inscriptum est: „Excerpta ex scriptis Theodoti et doctrina quae orientalis vocatur" (Migne l. c. IX, 653 sqq). Sed quae hoc dubio fragmento continentur, num vere sint Clementis, eo magis dubitaverim, quod multa in illo nobis occurrunt, quae a doctrina Clementis abhorrent. Vid. notas huc pertinentes, quas progrediente commentatione textui nostro subjungemus. — Bardenhewer, Patrologie, Freiburg i. Br 1894, pg. 144 dicit haec: „Vielleicht stellen zwei noch griechisch vorhandene Stücke: Excerpta ex scriptis Theodoti etc. und Ex scripturis propheticis eclogae Reste der (verloren gegangenen) Hypotyposen dar" Plurimi haec fragmenta inter dubia sive potius adulterina opera Clementis numerant.

[18]) Strom. IV, 3 pg. 567: ἐκ λογικοῦ καὶ ἀλόγου συγκείμενος (ἄνθρωπος), ψυχῆς καὶ σώματος.

appellat σμικρὸν κόσμον, quod „corpus est et anima".[19]) Artissimo enim vinculo corpus et anima inter se juncta sunt, ita ut duabus hisce partibus una contineatur natura humana. Unde corpus et anima totum demonstrant hominem et homo vocatur σύνθεσις sive σύστασις, e corpore constans et anima.[20]) „Neque ulla inter nos est controversia, hanc naturam in omnibus et in unoquoque genere inesse eandem. Non aliam ergo, quod attinet ad τὴν ἀνθρωπότητα, naturam habere videtur mulier, aliam vir, sed eandem". [21])

Atque corpus quidem Moyses (Gen. II, 7), quem etiam hac in re sequitur Plato, e terra ait formatum esse, animam vero ratione praeditam (ψυχὴν λογικήν) a Deo in faciem (primi hominis) inspiratam . . . et extrinsecus per sensus in hominem ingressam.[22]) Est igitur corpus tamquam „habitus extrinsecus nobis injectus,[23]) ut in communem hanc scholam ingredi possimus"; est „domicilium (οἰκητήριον), quo suscipitur anima Deo carissima"[24]) et suscepta usque adeo manet, donec societate et contagione corporis solvitur ejusque ex vinculis evolat.[25]) Quo fit, ut vita hominis hac in terra versantis, a corpore quidem initium sumat et corpore nitatur quasi fundamento; ea vis principalis, quam vitae et constitutionis humanae dicimus esse causam, in una vertitur anima eademque rationis participe.[26]) — Ad animam etiam „referenda est ea, quae corporis habetur ratio atque cura"; namque „corpus non propter se ipsum existit sed propter animam, neque unquam pars (μέρος) est ipsius animae, sed instrumentum (ὄργανον); [27]) quamobrem „non sine certa figura et specie corporis creatus est homo, sed formatus est ad ideam animae sibi congenitae"[28]) eaque sensuum et membrorum ornatus compositione, quae „animae conducit plurimumque confert ad ingenii sollertiam."[29]) Impie igitur faciunt haeretici (gnostici), qui „corpus humanum vituperant, non considerantes bonam ejus compagem et figuram „erectam ad contemplandum coelum, ejusque sensus ita formatos, ut tendant ad cognitionem, et partes viresque apte compositas ad peragendum honestum, non ad voluptatem". [30]) Accedit, quod cum anima simul et corpus Spiritum sanctum tabernaculo excipiat et per Christum, salvatorem incarnatum, tanta auctum est dignitate et sanctitate, ut ad perficiendam redemptionem salutemque generis humani magnum momentum attulerit. „Quomodo enim, qui est in

---

19) Cohort. pg. 5. Strom, III 10 pg. 542.

20) Strom. VI, 16 pg. 808. IV, 26 pg. 639. Cf. Paedag. I pg. 101.

21) Strom. IV, 8 pg. 590 VI, 12 pg. 790.

22) Strom. V, 14 pg. 703.

23) Quis div. salv. 33 pg. 944: σχῆμα ἔξωθεν ἡμῖν περιβεβλημένον.

24) Strom. IV, 26 pg. 638.

25) Strom. III, 3 pg. 569: (ὁ θάνατός ἐστι) τοῦ σώματος ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμός sive διάλυσις τῶν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς δεσμῶν.

26) Strom. VI, 16 pg. 808: τὸ λογιστικὸν καὶ ἡγεμονικὸν αἴτιον εἶναι φαμὲν τῆς συστάσεως τῷ ζώῳ.

27) Strom. III, 16 pg. 557.

28) Strom. IV, 23 pg. 632: κατ' ἰδέαν τοῦ συμφυοῦς πνεύματος.

29) Strom. IV, 26 pg. 638 sq. Strom. IV, 4 pg. 571: „Quare in tertio qui est de re publica libro ipse Plato, quem maxime (gnostici) citant testem vituperatae generationis, oportere dixit corporis curam gerere propter harmoniam animae." Strom. III, 16 pg. 557: „Eis igitur qui dicunt, generationem esse malum, nihil restat nisi ut malum dicant et animam, propter quam corpus existit."

30) Ut hedonicos, qui omnia ad corporis voluptatem (ἡδονήν) referunt, ita Clemens omnes, qui procreationem et corpus calumniantur (κακίζοντας τὴν γένεσιν καὶ τὸ σῶμα), tum haereticos tum philosophos et poetas persequitur. Ex haereticis maxime impugnat Marcionistas ceterosque qui cum eis fecerunt gnosticos; ex philosophis et poetis praeter alios affert Heraclitum, Empedoclem, Homerum, Pindarum, Euripidem, Solonem, Orpheum, Platonem, ex quo tamen, ut Clementi videtur, „Marcion dogmatum suorum materiam indocte et ingrate cepit." Cf. Strom. III, 3 pg. 515 sqq.; ibid. pg 520 sqq.

ecclesia nostra, ordo salutis ad finem perduci potuisset, quandoquidem vel is ipse, qui caput est ecclesiae, vitam in carne infirma transegit.“ [31])

Hinc jam patet, in magnis erroribus Marcionem esse ejusque sectatores, quos quum aliorum philosophorum tum vero maxime Platonis auctoritas ad falsam perduxit opinionen, corpus et animam „a diversis potestatibus formata esse neque ab eodem summo Deo, et superiores hominis partes majore arte constitutas esse, minore inferiores.“ [32]) Errat etiam Basilides eo quod opinatur, animam natura ita esse supra hunc mundum (ὑπερκόσμιον φύσει) et a corpore ceterisque rebus remotam, ut nullam cum eis habeat societatem naturalem. Minime ista quidem; sed „unius Dei sunt omnia . . . et quemadmodum unus est Deus, sic una est rerum essentia (ἑνὸς γὰρ τὰ πάντα θεοῦ . . . μίας μὲν τῆς οὐσίας οὔσης, ἑνὸς δὲ θεοῦ.“ [33]) Pertinet enim ad rerum omnium naturam id idem, quod „unius Dei opus sunt omnia, et mundus et quae supra mundum sunt (ὅ τε κόσμος καὶ τὰ ὑπερκόσμια.)“ [34]) Unam igitur rerum essentiam Clemens non dixit, quia nullum omnino inter eas noverit discrimen — nam aliud esse corpus, aliud animam diserte ipse docuit — sed quod contra gnosticos, qui sua de diversis mundi opificibus opinione et rerum universitatem et hominem in partes distrahebant contrarias, quam gravissime voluit contendere, omnibus rebus, quantumvis inter se differant, id unum natura commune esse, quod sint ab uno eodemque Deo creatae, ne anima quidem excepta. — Ceterum gnostici, qui quidem nomen Christi jactant, „Christo ipsi adversantur, qui Pharisaeis dixit, eundem Deum et interiorem hominem fecisse et exteriorem“ (Luc. 11, 40), [35]), qui idem „non minus corpus quam animam sanavit a malis affectionibus. Nec vero, si caro esset animae inimica, inimicam restitutione sanitatis adversus animam muniisset.“ [36])

„Praestantiorem quidem hominis partem (κρεῖττον μέρος) esse animam, corpus autem deteriorem (ἧττον), constat inter omnes. Sed nec anima bonum est natura (ἀγαθὸν φύσει), nec malum natura (κακὸν φύσει) corpus. Neque tamen, quod non est bonum, hoc est jam malum; sunt enim quaedam, quae medium locum obtinent (μεσότητές τινες), et in mediis sunt praeposita et rejecta (προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα). Oportuit ergo hominem in mundo sensibus subjecto constare quidem ex diversis, sed non ex contrariis (partibus), ex corpore et anima.“ [37]) Stoicorum Clemens hic utitur argumento, quo acrius adversariorum de natura hominis commenta significet et diluat. Exploratum enim gnosticis videbatur, animam esse natura bonum, corpus natura malum, neque fieri posse, quin id sit malum, quod non sit bonum. Contra Clemens comprobat, in eo ipso illos maxime errare, quod concludant, aut bonum esse aliquid aut malum, et quidquid non sit bonum, id esse malum. Immo quaedam esse censet, quae nec bona sint nec mala, sed media sive indifferentia, quorum alia quidem ex sententia Stoicorum dicit praeposita, alia vero rejecta. Praeposita enim Stoici vocabant, quae habent existimationem, exempli causa ingenium, sanitatem, gloriam, et his similia; rejecta autem, quae existimatione

---

31) Strom. IV, 4 pg 571; 26 pg. 638. III, 17 pg. 559. — Qui ad infamandum corpus attulerit illud Jesaiae (40, 6—8): „Omnis caro fenum est . . . exsiccatum est fenum et flos cecidit“, hoc dictum esse sciat de eis, „qui sunt in peccatis et secundum carnem ambulant“ (II. Cor. 10, 2); et qui objecerit, ex corpore nasci cupiditatem, is secum consideret, „appetitionem (ὄρεξιν) non esse corporis, etiamsi fiat per corpus“ Strom. III, 17 pg. 559. IV, 26 pg. 639. III, 4 pg. 526.

32) Strom. III, 17 pg. 559; 4 pg 526.

33) Strom. IV, 26 pg. 639. — Eisdem fere verbis de una rerum substantia utitur Irenaeus adv. haer. IV, 9, 1.

34) Strom. l c. pg. 640.

35) Strom. III, 4 pg. 526.

36) Strom. III, 17 pg. 559.

37) Strom. IV, 26 pg. 639: ἐχρῆν δὴ οὖν τὴν σύνθεσιν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αἰσθητοῖς γενομένην ἐκ διαφόρων συνεστάναι, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἐναντίων, σώματός τε καὶ ψυχῆς.

carent, velut hebetudinem, imbecillitatem, ignobilitatem, et alia hujus generis. Quae „bona“ quidem et „mala“ non vocabant, ea scilicet nomina solis virtutibus ac vitiis tribuentes, sed tantum *προηγμένα* et *ἀποπροηγμένα*, illa quidem praeponenda, haec vero postponenda. Sic igitur a natura etiam animam comparatam esse et corpus, ita quidem, ut anima, quippe „pars praestantior“, in „praeposita“, corpus autem, quippe „pars deterior“, in „postposita“ sit referendum, neutrum vero in bona aut mala, in virtutes aut vitia. Unde effici, hominem, respecta substantia naturali, ex diversis quidem partibus constare, non autem ex contrariis, respecta natura morali; nihil ergo impedire, quominus hujusmodi partes in unam *σύνθεσιν* conveniant.

Quibus ita comparatis, jure meritoque Clemens procul a se rejicit haereticos, qui pessimismo quem hodie vocamus addicti tam male de natura hominis existimarunt, ut malum esse dicerent, hujus corporis specie indui et in hanc lucem suscipi. Quae sint et quantae molestiae, quibus homo in hac terra afficiatur, altissime quidem inspexit easque saepe describit[38]), sed ab ista gnosticorum opinione longissime abest eisque errata et vitia, quae ex illa late effundantur, graviter et severe exprobrat. Objicit eis impium quod cum Deo gerant bellum (*ἀσεβῆ θεομαχίαν*), eorumque animis proponit, quam injustum sit et ingratum, benignitatem contemnere Dei, qui eos ipsos creaverit et beneficiis, quibus ad conservandam vitam cum voluptate fruantur, usque augeat eosdemque „ad inauditam illam ac novam, qua glorientur, cognitionem evangelii provexerit, etiamsi hoc quoque nomine Domino mundi gratiam debeant, quod hic audierint evangelium.“ [39]) Quid? nonne qui hominis, iidem et Christi ortum calumniantur? „Si enim malum est generatio, in malo fuisse blasphemi dicant Dominum, qui generationis fuit particeps, in malo fuisse virginem, quae genuit. Vae mihi! quot et quanta mala!“ [40]) Non est ita, non est profecto; sed „ab omnipotente Deo constituta est procreatio et creatura“, [41]) quin etiam „sancta est procreatio, propter quam mundus existit, propter quam substantiae, propter quam naturae, propter quam angeli, propter quam potestates, propter quam animae, propter quam praecepta, propter quam lex, propter quam evangelium, propter quam Dei cognitio.“ [42])

Nihilominus causa poscit, ne taceam, Clementem vel in hac re certis quibusdam dogmatis platonicis plus justo, ut videtur, cedere. Sententias enim, quas peculiari quodam studio amplexus tenet, dico has: corpus esse vinculum (*δεσμὸν*) *σαρκικόν*, quod cum omnibus eis, quae ad creationem et victum corporis sint accommodata, magno nos animo despicere oporteat; [43]) ad sancte vivendum eos potissimum vocatos esse, qui ex hac vita tamquam e carcere (*ἐκ δεσμωτηρίου*) sursum ad puram proficiscantur habitationem [44]); ut pedem a vinculo, ita a corpore solvendam esse animam [45]); verum cultum Deo ab illo gnostico (christiano) tribui, qui se a corpore secernat neque quidquam cum eo communicet [46]) — hujusmodi inquam sententias philosophiae magis platonicae quam christianae notatas esse vestigiis, vix est quod pluribus exponam, idque eo minus, quo saepius eas ipsius Platonis auctoritate invenimus confirmatas.

---

38) Vid. libros Stromatum imprimis tertium et quartum.
39) Strom. III, 3 pg. 515 sq.
40) Strom. III, 17 pg. 558.
41) Strom. III, 14 pg. 554.
42) Strom. III, 17 pg. 559.
43) Strom. VII, 7 pg. 854; pg. 880.
44) Strom. IV, 6 pg. 580; 22 pg. 626.
45) Strom. V, 8 pg. 679.
46) Strom. V, 9 pg. 686.

II. De origine et propagatione (corporis et) animae ratione praeditae

Tum corpus hominis tum animam ab eodem Deo creata esse, Clemens nos supra docuit. Quemadmodum sint creata et quibus ex principiis orta, accuratius exponit Strom. V, 14 pg. 703. Hic ut demonstret, Graecos decreta sua ex „philosophia barbara“ mutuatos esse, inter alia profert ea, quae Moyses et quae philosophi de rerum origine tradiderunt. Ex quibus reddimus haec ad rem nostram pertinentia. „(Similiter) mundum agnoscit philosophia barbara duplicem, alterum intelligentia, alterum sensibus percipiendum (*κόσμον τὸν μὲν νοητὸν, τὸν δὲ αἰσθητόν*); illum quidem archetypum, hunc vero praeclari exemplaris imaginem.“ Et priorem quidem mundum Deus fecit, quum „coelum illud invisibile (*οὐρανὸν ἀοράτόν*) terramque sanctam et lucem mente perceptam constituit. In principio enim, inquit, Deus coelum et terram fecit; terra autem erat invisibilis. Deinde subjungit: Et dixit Deus: fiat lux, et facta est lux (Gen. I, 1—3). At in procreatione mundi ejus, quem sensibus attingimus, coelum solidum (*στερεόν*) condidit terramque simul et lucem, quae oculis cernuntur.“ A Moyse hanc doctrinam sumpsisse videtur Plato.[47]) „Jure igitur Moyses docet (Gen. II, 7), terra concretum corpus esse, quod a Platone vocatur tabernaculum terrenum (*γήινον σκῆνος*), animam vero ratione praeditam ex alto (*ψ. λογικὴν ἄνωθεν*) a Deo in faciem inspiratam. Hic enim animae ejus, quae principatum obtinet (*τοῦ ἡγεμονικοῦ*), sedem esse dicunt.“ — Ut ex hoc loco apparet, Clemens doctrinam de creatione mundi mosaicam cum platonica de rerum primordiis sententia commiscet, alteram explanans altera. Cum Platone igitur (et Philone) in eo consentit, quod duos mundos distinguit, *κόσμον νοητόν* et *κ. αἰσθητόν*. Utrumque censet a Deo esse profectum, sed illum hoc priorem; nam illum esse exemplar, hunc exemplaris imaginem. In *κόσμον νοητόν* referenda esse coelum illud invisibile et terram lucemque sola mente percipiendas, in *κόσμον αἰσθητόν* solidum hoc coelum terramque simul et lucem oculis subjectas.

Atque corpora quidem hominum, priusquam fingerentur ex hac terra, in *κόσμῳ νοητῷ* nunquam fuisse revera, sed fuisse tantum in eo rerum omnium vel corporearum aeterna exemplaria, et ipsa res loquitur et Clemens plane docuit. Quod autem ad animas attinet, quaestio exsistit, animasne ipsas in coelum illud invisibile reposuerit an solas animarum ideas. Quod animam dixit in primum hominem a Deo ex alto inspiratam esse, hoc in bonam partem acceperim, ita quidem, ut recte mihi videatur docuisse, Deum, quum creasset corpus, tum (demum) etiam animam creasse creatamque homini indidisse; nisi forte addita voce „ex alto“ significare voluerit, creato corpore animam de coelo invisibili, in quo jam vitam egerit, a Deo esse demissam et in hominem immissam. — Quid de ea re senserint barbari, „a quibus ea, quae sunt in philosophia praestantissima, Plato fatetur se accersivisse“, Clemens Strom. I, 15 pg. 355 commemorat. „Bonas enim animas, ut ait Plato, supercoelesti loco relicto, venisse in hunc tartarum et, corpore suscepto, malorum omnium, quae ex generatione contrahuntur, fuisse participes, generis humani curam gerentes, existimant (barbari); quae (animae) et leges tulerunt et philosophiam praedicarunt, quo majus bonum ad hominum genus nunquam a diis venit nec veniet.“ Sed hujus sententiae mentionem Clemens quasi praeteriens facit neque ullum ipse addens aut assensionis aut dissensionis signum[48]); scire autem cupimus, num animarum praeexistentiam quam vocant comprobaverit anne reprobaverit.

---

[47]) Strom. V, 14 pg. 703: *ἆρ' οὐ δοκεῖ σοι ἐντεῦθεν ὁ Πλάτων, ζώων ἰδέας ἐν τῷ νοητῷ ἀπολείπειν κόσμῳ, καὶ τὰ εἴδη τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ γένη δημιουργεῖν τὰ νοητά;*

[48]) Falsum est, quod dicit Ziegert l. c. p. 8, Clementem huic sententiae omnino suffragari. Revera Clemens hoc loco id unum intendit, ut ostendat, quanti Plato faciat barbaros. „Sic existimat Plato, ex barbaris quoque aliquos esse philosophos . . . Manifestum est, Platonem semper magni ducere barbaros, qui meminerit, et se ipsum et Pythagoram multa dogmata eaque gravissima didicisse apud barbaros etc.“ Strom. I, 15 pg. 355 sq.

Qui jam lucis aliquid nobis afferat, idoneus esse videtur locus Strom. III, 14 pg. 554. Disputans enim de via ac ratione, qua primi homines (et posteri) a Deo declinaverint, Clemens negat eos ita declinasse, ut eorum animae „ex alto (ἄνωθεν) huc aberraverint ad sustinendam generationem“; nam generationem non esse istud malum, quod haeretici mentiantur, sed „esse opus Dei omnipotentis, qui nunquam ex melioribus ad deteriora animam deduxerit (ὃς οὐκ ἄν ποτε ἐξ ἀμείνων εἰς τὰ χείρω κατάγοι ψυχήν).“ [49]) Hoc loco Clemens adversus gnosticos diserte negat, lapsorum hominum animas ex coelo in malam vitam delapsas esse, neque concedit, Deum unquam animas ex meliori vita dejecisse in deteriorem; sed nescio an iisdem ipsis verbis docuerit, ante initium hujus vitae animas vitam egisse prorsus nullam. Interim omnem scrupulum ea nobis eximunt verba, quae de antiquitate populorum facit Cohort. 1 pg. 6. Ubi quum dixit, antiquissimos haberi sive Phrygas sive Arcadas sive Aegyptios, hunc in modum pergit: „Sed tamen nemo ex eis se ante mundum fuisse jactat. At nos ante mundi contitutionem fuimus, propter condicionem vitae futurae in ipso Deo priores existentes (οἱ τῷ δεῖν ἔσεσθαι ἐν αὐτῷ πρότερον γεγεννημένοι τῷ θεῷ); nos enim Dei Verbi creaturae rationales sumus et per Verbum primi esse dicimur, quoniam in principio erat Verbum.“ Hic jam sua quisque sponte perspicit, Clementem nec novi quidquam nec falsi proferre. Id enim omnes cum eo patres et theologi contenderunt, Deum ab infinito tempore aeterna sua ratione et sapientia sive per Λόγον rerum omnium, quas creare voluerit, concepisse statuisseque naturam, condicionem, ordinem. Quo in ordine quum homines per Λόγον cum Deo reconciliati primum locum obtineant, eosdem dicit in ipso Deo i. e. in divino consilio fuisse ceteris priores. [50]) Itaque ne eorum quidem animas, quibus primas defert, ante mundum conditum aliter fuisse censet atque in aeterna mente et ratione Dei, qui futuram eorum procreationem et condicionem ante omnia haec tempora per Λόγον constituerit. Fuerunt igitur, ut Clementi videtur, ex aeternitate animarum in Deo ideae, sed non fuerunt animae ipsae. [51])

Alibi profitetur, homines probos electosque a Patre in hanc terram tamquam in locum peregrinum (ὥσπερ ἐπί τινα ξενιτείαν) missos esse eorumque salutis causa a Deo omnia contineri et tamdiu conservari, quam ipsi hac in statione mansuri sint; quibus collectis omnia fore dissolvenda. [52]) Similiter universos eos, qui in hoc mundo versantur, vocare solet hospites, advenas, peregrinos, quippe in exsilium quoddam exceptos. [53]) Sed re diligentius perlustrata nemo non inveniet, eum omnibus his locis hanc vitam vitae post mortem futurae, non praeteritae (ante hanc vitam actae) conferre atque

---

[49]) Similiter Strom. IV, 26 pg. 640: „Non ergo“, inquit, „huc de coelo anima ad deteriora demittitur (οὔκουν οὐρανόθεν καταπέμπεται δεῦρο ἐπὶ τὰ ἧττω ψυχή), Deus enim omnia refert ad meliora (ἐπὶ τὰ ἀμείνω); sed ea (anima), quae vitam elegit optimam ex Deo et justitia, coelum cum terra commutat (γῆς οὐρανὸν ἀνταλάσσεται).“ — Ziegert l. c. p. 8 primam tantum partem hujus loci affert eamque concludit signo interrogationis; facit igitur Clementem interrogantem sic: „Nonne de coelo huc demittitur anima ad deteriora?“ — Satis habeo hoc monuisse. Quam temere Z. id fecerit quamque pugnantia ita et hunc in locum et in eum, quem supra in textu posui, intulerit, lector ipse videbit.

[50]) Eodem spectant Strom. VI, 17 pg. 819: „Nam quia bonus est Deus, propter principalem universi partem (διὰ τὸ ἡγεμονικὸν τῆς κτίσεως ἁπάσης), quum eam vellet esse salvam, ad cetera quoque facienda se convertit.“

[51]) Ex omnibus, quae supra de origine animarum disputavimus, satis apparet, quid veri insit, quid falsi in eo, quod Ziegert l. c. pg. 11 ex fragmento illo incerto, cujus in introductione not. 17 memini, probare studet: „Er (Clemens) vertritt nämlich die philonische Anschauung von einer Vorschöpfung, der Schöpfung des κόσμος νοητός mit seinen Bewohnern, den ἰδέαι, welche mit den ἄγγελοι der Schrift identisch sind. Eine dieser ἰδέαι führt Gott, der Demiurg, in die μήτρα ein“

[52]) Quis div. salv. 36 pg. 945.

[53]) Cohort. 10 pg. 79. Paedag. III, 7 pg. 277. Strom. III, 14 pg. 554. IV, 26 pg. 639 sq. VII, 7 pg. 854.

opponere. „Quapropter sapientis et gnostici (christiani) hominis anima, quae in corpore peregrinatur, eodem severe et austere utitur, non nimiam in ipsum affectionem et indulgentiam ostendens, ut quae, quum tempus migrandi venerit, statim relictura sit tabernaculum: Advena, inquit, in terra sum et peregrina vobiscum“ (Gen. 23, 4). Qui autem hinc cum Basilide gnostico conjecerit, animam esse creatis rebus superiorem et hospitium cum corpore et mundo junxisse a natura sua alienum, huic respondet: „Haec res non ita se habet, unius enim Dei sunt omnia, neque erit quisquam natura hospes mundi (*φύσει ξένος τοῦ κόσμου*), sed homo electus eo est animo, ut vitam agat tamquam hospes (*ὡς ξένος πολιτεύεται*), sciens omnia esse possidenda, deinde rejicienda; quin etiam corpore sic utitur, quemadmodum peregrinator utitur diversoriis et tabernaculis etc.“ [54]) — Qua cum sententia non pugnare, quod Cohort. 1 pg. 6 docuit, omnibus populis vel antiquissimis antiquiores esse christianos, fuisse enim eos „ante constitutionem mundi“, proxime monstravimus.

Jam si quaeritur, unde tandem singulorum animae hominum revera vivere incipiant et propagentur, sine dubio Clemens id, quod de anima primi hominis dixit, dictum esse voluit de omnibus etiam posteris. Conferre nobis liceat, quae de hac re legimus. Ac primi hominis „animam rationalem et principalem (*τὴν ψυχὴν λογικήν, τὸ ἡγεμονικόν*) de coelo in faciem inspiratam esse a Deo et adventiciam in illum per sensus esse ingressam“, [55]) jam scimus. De posterorum autem procreatione expositurus dicit haec: „Immittitur (homini) *ἡ ψυχή* et immittitur quidem *τὸ ἡγεμονικόν*, quo ratiocinamur, quod non generatur per dejectionem seminis“. [56]) Negat igitur, hanc animam a parentibus generari et ita traduci ad liberos, ait eam (homini) immitti. Immitti eam a Deo, id quidem non dicit omnino, sed quae dicit, idem valent. Nam quae anima non generatur a parentibus, ea nisi a Deo immitti nemini potest; quumque Clemens praeexistentiam similiter improbaverit ac generationem animarum, non dubitamus, quin recte judicaverit, a Deo creari uniuscujusque animam et creatam partui inseri. Eandem igitur anima uniuscujusque ac primi hominis originem habet: illa dicitur a Deo inspirata esse, haec immitti. Qua de causa etiam animi bona, quae primo homini ingenita fuerunt, eadem insunt in posteris.

III. De natura animae ratione praeditae et quae sit ejus cum Deo cognatio.

„Jure (ergo) homo Deo est carus, quoniam Dei est opus. Atque cetera quidem Deus solo jussu voluntatis suae creavit, hominem vero sua ipsius manu effecit suique proprii aliquid ei inspiravit (*καί τι αὐτῷ ἴδιον ἐνεφύσησε*). Est igitur in homine id insitum (*φίλτρον*), quod appellatur *ἐμφύσημα τοῦ θεοῦ*.“ [57]) Ex quo fit, ut anima „ab initio sit divina“ [58]) et „purioris essentiae (*καθαρωτέρας οὐσίας*) particeps quam reliqua omnia“. [59]) Namque tanta est subtilitate et simplicitate (*λεπτότητι καὶ ἁπλότητι*), ut omni corpore careat (*ἀσώματος*) neque ullius materiae potestate teneatur; [60]) „eaque est

---

[54]) Strom. IV, 26 pg. 639.

[55]) Adjicio quem antea omiseram textum graecum ex Strom. V, 14 pg. 703: *ψυχὴν δὲ τὴν λογικὴν ἄνωθεν ἐμπνευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς πρόσωπον. Ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἡγεμονικὸν ἱδρῦσθαι λέγουσι (ὁ Μωϋσῆς καὶ ὁ Πλάτων), τὴν διὰ τῶν αἰσθητηρίων ἐπεισόδιον τῆς ψυχῆς ἐπὶ τοῦ πρωτοπλάστου εἴσοδον ἑρμηνεύοντες.*

[56]) Strom. VI, 16 pg. 808.

[57]) Paedag. I, 3 pg. 101 sq.

[58]) Strom. III, 13 pg. 554.

[59]) Strom. V, 13 pg. 698.

[60]) Strom. VI, 6 pg. 766 sq.

ejus vis ac natura, ut a se ipsa moveatur.[61]) Et movetur quidem semper (*ἀεικίνητος*) neque, quum corpus quieti traditur et remittitur, eodem utitur ad agendum, sed ipsa per se agit et cogitat."[62]) Ita Deus „animam fecit immortalem et proprietatis suae similem",[63]) unde optimo jure „homo dicitur factus esse ad imaginem (*εἰκόνα*) Dei." Haec enim „non in corpore et specie externa cernitur, ut quidam impie putant[64]) — nam nefas est, mortale assimulari immortali —, sed in mente et ratione posita est (*νῷ καὶ λογισμῷ*)".[65]) Verum etiam eorum „impia est opinio", qui censent, similitudinem, quam homo cum Deo habeat, usque ad perfectam *ὁμοιότητα* Dei" et „virtutem primae causae" i. e. Dei progredi. „Non enim, ut Stoici, nefarie dicimus, eandem esse hominis et Dei virtutem",[66]) neque unquam tale quid opinabitur, „nisi qui ausus fuerit affirmare, nos Dei esse partes (*μέρη*) et eadem cum Deo essentia (*ὁμοουσίους τῷ θεῷ*). Nescio autem, quomodo, qui Deum novit et hominem, hoc audire aequo animo possit, quum secum reputaverit, ita et mala nostra et peccata transferri in ipsum Deum. Verumenimvero nec partes Dei sumus nec Dei filii natura (*φύσει τέκνα*); „sed hoc maximum Dei erga nos bonitatis est indicium, quod, quum ita nos in eum geramus, tamen ipse curam gerit nostri . . . qui nihil habemus quod ad eum pertineat, vel essentia, inquam, respecta vel natura vel peculiari essentiae nostrae facultate."[67]) — Similiter „ii, qui sunt per fidem sanctificati, sapientiae divinae sive *Λόγου* non *κατ' οὐσίαν*, sed tantum *κατὰ δύναμιν* participes sunt,[68]) „neque Spiritus sanctus ut pars

---

[61]) Strom. VI, 12 pg. 788: *αὕτη οὖν φύσις ψυχῆς, ἐξ ἑαυτῆς ὁρμᾶν.*

[62]) Paedag. II, 9 pg. 219: *μὴ ἐνεργούσης ἔτι σωματικῶς τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ καθ' αὐτὴν ἐννοουμένης.* — „Hinc fieri" ait Clemens l. c., „ut quae sunt vera somnia, recte reputanti homini cogitationes sint sobriae animae, quae ad corporis affectiones non trahitur et ipsa sibi ipsi, quae sunt optima, consulit. Animae autem interitus est, si ipsa apud se omnino quiescat; quapropter Deum mente semper versans et per continuam ejus consuetudinem corpori vigilias imponens angelicae hominem gratiae exaequat vitaeque aeternitatem ex meditatione percipit". Similiter Strom. IV, 22 pg. 627: „Anima nocte a sensibus sevocata convertitur ad se ipsam et est prudentiae magis particeps." Cf. Cicero, De divinat. I, pg. 266 et De senect. c. 22.

[63]) Strom. VI, 12 pg. 788. V, 14 pg. 701. — Cf. Strom. IV, 26 pg. 640, ubi Clemens Epicharmum et poetam quendam lyricum laudat de immortalitate animae ejusque sorte post mortem futura perbelle scribentes.

[64]) Strom. VI, 14 pg. 798. — Quos intelligat „tam impie" putasse vel philosophos vel haereticos, Clemens nusquam aperte significat.

[65]) Strom II, 19 pg. 483. VI, 16 pg. 809. — Disertissime igitur planissimeque Clemens ipse omnibus his locis negat atque refellit id, quod eum Ziegert ait affirmasse. Afferens enim locum quendam ex dubio illo fragmento, Zieg. l. c. p. 13 dicit haec: „Clemens vertritt hier nicht die biblische Lehre, der Mensch sei nach dem Bilde Gottes geschaffen, sondern unterscheidet in dem Menschen der Erscheinung geradezu zwei verschiedene Menschen, welche durch die zwei Seelen repräsentirt werden. Der eine, und dies ist der äussere Mensch, die *ψυχὴ ἄλογος*, ist *κατ' εἰκόνα θεοῦ* geschaffen, der innere *καθ' ὁμοίωσιν*, er ist die *ψυχὴ λογική*." — Interesse quidem aliquid inter *εἰκόνα* et *ὁμοίωσιν*, inter *ψυχὴν λογικήν* et *ψ. ἄλογον*, inter hominem interiorem et exteriorem, infra explanabimus.

[66]) Strom. VII, 14 pg. 886: *ἀλλ' οὐδὲν τούτων, καίτοι μέγιστον ὄν, εἰς ὁμοιότητα θεοῦ παραλαμβάνεται . . . οὐ γὰρ καθάπερ οἱ Στωικοὶ ἄθεως πάνυ τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνθρώπου λέγομεν καὶ θεοῦ.* Strom. VI, 14 pg. 798: *ἡ δὲ ὁμοίωσις, οὐχ ὥς τινες, ἡ κατὰ τὸ σχῆμα τὸ ἀνθρώπειον· ἄθεος γὰρ ἥδε ἐφορία· οὐδὲ μὴν ἡ κατ' ἀρετὴν ἡ πρὸς τὸ πρῶτον αἴτιον· ἀσεβὴς γὰρ καὶ ἥδε ἡ ἔκδοσις, τὴν αὐτὴν εἶναι ἀρετὴν ἀνθρώπου καὶ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ προσδοκησάντων.*

[67]) Strom. II, 16 pg. 467 sq: „Deus autem nullam nobiscum habet naturae communionem, (*οὐδεμίαν ἔχει πρὸς ἡμᾶς φυσικὴν σχέσιν*), ut volunt haeresium auctores, neque si ex nihilo omnia produxerit, neque si ex materia fecerit (*οὔτ' εἰ ἐκ μὴ ὄντων ποιοίη, οὔτ' εἰ ἐξ ὕλης δημιουργοίη*), quoniam illud ne omnino quidem est, haec autem est a Deo omnino diversa". — Strom. V, 14 pg. 698 Clemens inter alios affert Democritum, „qui easdem fecit imagines (*εἴδωλα*) et in homines et in animalia ratione carentia incidisse ex divina essentia." Stoici autem „Deum dicunt omnem substantiam pervadere (*διήκειν διὰ πάσης τῆς οὐσίας τὸν θεὸν φασιν*)". Strom. V, 14 pg. 699. — Cf. Seneca epist. 97: „Totum hoc, quo continemur, et unum est et Deus est: et socii ejus et membra sumus."

[68]) Strom. VI, 16 pg. 810.

Dei inest in unoquoque nostrum". Quamquam „Pythagorei dicunt, mentem (*τὸν νοῦν*) divina sorte venire in homines, sicut fatentur Plato et Aristoteles; sed nos dicimus, Spiritum sanctum inspirari in eum qui credidit, Platonici autem (putant), mentem (*νοῦν*) quidem in anima inesse ex divina sorte delibatam, animam (*ψυχήν*) autem in corpore collocant. Aperte enim dictum est per Joëlem, qui fuit unus ex duodecim prophetis: Et erit post haec, effundam de Spiritu meo super omnem carnem etc." [69])

Ceterum Clemens ex eo, quod Moyses (Gen. I, 26) hominem creari facit ad imaginem Dei et similitudinem (*κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν*), cum plerisque ecclesiae patribus colligit, imaginem et similitudinem inter se differre, ita ut similitudo imagine sit superior et perfectior. Memorabilis hac de re locus est Strom. II, 22 pg. 499, ubi Platonis huc spectantem sententiam, quam quidem sexcenties commemorat, in usum suum vertit eamque cum doctrina patrum quorundam christianorum comparat sic: „Quod est in virtute summum, id (Plato) ponit in scientia boni et in ea quae est cum Deo similitudine (*ἐν ἐξομοιώσει τῇ πρὸς τὸν θεόν*), similitudinem definiens in eo consistere, quod quis justus sit et sanctus cum prudentia. Nonne sic etiam ex nostris nonnulli illud quidem, quod est ad imaginem (*τὸ κατ' εἰκόνα*), simul cum ortu, hoc autem, quod est ad similitudinem (*τὸ καθ' ὁμοίωσιν*), postea cum perfectione accepisse hominem credunt?" Atque Clemens ipse imaginem putat omni homini, quippe ratione praedito, natura esse inditam, similitudinem autem solis eis adjudicat, qui gratia divina sanctaque disciplina ad filiorum adoptionem et salutem instituti Deique haeredes et amici facti, voluntati Patris morem gerant, Verbum (*Λόγον*) audiant, salvatoris vitam salutarem imitando exprimant jamque aeternae illius vitae rationem meditantes exemplar Domini effingant Deique vestigia sequantur. [70]) In eandem sententiam Clemens persaepe disputat neque ab ea locis discedit illis, quibus *εἰκόνα* et *ὁμοίωσιν* una comprehensione complectitur; ubicunque enim hoc loquendi genere utitur et his duabus vocibus notionem subjicit unam, ibi aliqua ex parte significare solet, imaginem similitudine augeri atque ornari et propinquiorem inde homini cum Deo intercedere cognationem. [71]) Perfecta quidem Dei imago omnibusque numeris absoluta nemo quisquam est praeter solum *Λόγον*, mentis divinae germanum filium"; sed cui *Λόγος* imaginem suam infigit animique sui simile quiddam instillat, eundem simul ad ipsius Dei imaginem et similitudinem effingit, ita ut, qui ad similitudinem *Λόγον* divini producitur, is jam ,,imago imaginis" sive „tertia Dei imago" esse videatur. [72]) „Imago enim Dei *Λόγος* divinus, imago imaginis (*εἰκὼν εἰκόνος*) mens humana." [73]) „Imago igitur valde divina Deique similis est viri justi anima, quae obedienter imperata faciens mortalium

---

[69]) Strom V, 14 pg. 698 sq.

[70]) Paedag. I, 12 pg. 156 sq· Strom. VI, 14 pg. 798. Cf. Strom. II, 19 pg. 482 sq. IV, 6 pg. 576 sq.

[71]) Cf. Strom. II, 19 pg. 483. IV, 22 pg. 626; 26 pg. 642. VI, 9 pg. 776; passim. Paedag. III, 12 pg. 311 (sub finem totius operis) *Λόγον* orat precibus his: „Sis propitius tuis, o Paedagoge, pueris, Pater, auriga Israel, Fili et Pater, unum ambo, Domine. Da nobis, ut tua sequentes praecepta expleamus similitudinem imaginis (*τὸ ὁμοίωμα τῆς εἰκόνος*) etc." — Strom. II, 19 pg. 480 de moribus gnostici christiani praecipit haec: „Hic est, qui *κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν* est gnosticus, qui, quoad ejus fieri possit, Deum imitatur, nihil praetermittens eorum, quae faciunt ad assequendam similitudinem (*ὁμοίωσιν*), continens, sustinens, juste vivens, imperans animi perturbationibus et cupiditatibus, communicans quae habet cum aliis, pro viribus bene faciens et verbo et opere etc." Ceterum Clemens hunc locum, paucis omissis, paucis adjunctis verbis, transscripsit ex Philone, quem quidem saepe sequitur quum rerum scriptorem tum philosophum et Platonis interpretem. Vid. notas suo quamque loco a Pottero editore doctissimo textui Clementiuo subjunctas.

[72]) Cohort. 10 pg. 78 sq. *ἡ μὲν τοῦ Θεοῦ εἰκὼν ὁ Λόγος αὐτοῦ, καὶ υἱὸς τοῦ Νοῦ γνήσιος ὁ θεῖος Λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς· εἰκὼν δὲ τοῦ Λόγου ὁ ἄνθρωπος ἀληθινός. ὁ νοῦς ὁ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, ὁ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν διὰ τοῦτο γεγενῆσθαι λεγόμενος, τῇ κατὰ καρδίαν φρονήσει τῷ θείῳ παρεικαζόμενος Λόγῳ κτλ.*

[73]) Strom. V, 14 pg. 703.

omnium et immortalium amplectitur ducem et regem bonorumque genitorem, *Λόγον* aeternum. Hic est revera unigenitus Dei filius, qui ad sui ipsius imaginem homini gnostico perfectam imprimit contemplationem, ut sit jam tertia Dei imago (*τρίτη ἡ θεία εἰκών*), quae, quantum potest, assimulatur causae secundae (*τῷ δευτέρῳ αἰτίῳ*) eique quidem, qui est revera vita, per quam veram vitam vivimus."[74]) Quapropter praeter ceteros omnes ii, quos religio christiana artiore propinquitatis vinculo cum filio Dei conjunxit, „Dei imaginem ut contubernalem corporis sui comitem, consiliorum suorum socium, vitae suae affectuumque consortem secum circumferunt"; imo „solum pium christianum dici oportet imaginem Dei eandemque similitudinem (*εἰκόνα τοῦ θεοῦ μεθ' ὁμοιώσεως*), ut qui justus et sanctus et prudens a Christo factus sit et ita Deo similis . . . Nos enim, nos (Deus) adoptavit filios, et noster tantummodo pater haberi vult, non autem eorum, qui ei non obtemperant".[75])

IV. De „duobus spiritibus" eorumque partibus et viribus.

Omnibus quos supra scripsi locis Clemens de anima disputavit una, quam cum philosophis veteribus promiscue vel *ψυχὴν λογικὴν, νοῦν, λογισμόν*, vel (*πνεῦμα*) *τὸ λογικὸν, τὸ λογιστικὸν, τὸ νοερόν*, vel (cum Stoicis) *τὸ ἡγεμονικόν* appellat. Sed alibi etiam alteram novit animam eamque cum eisdem auctoribus vel *ψυχὴν ἄλογον, ψ. σαρκικὴν, ψ. σωματικήν* vel *πνεῦμα σαρκικὸν, πν. σωματικὸν, πν. πλασθέν* (fictum) vel *τὸ ὑποκείμενον* (subjectum) nominat. Statuit igitur in homine *δισσὰ πνεύματα*, quae quidem jam duabus tabulis legis mosaicae notissimoque illo apostolico Gal. 5,17 significata esse putat;[76]) sed considerans, quae de eis exposuit, doctus quisque facile inveniet, eum hac in re Aristotelis potissimum vestigia premere ejusque teneri erroribus.

Nemo est qui nesciat, philosophum Stagiritam discernere animas duas, alteram rationis expertem et corpoream (*τὸ ἄλογον*), alteram ratione praeditam et corpore vacantem (*τὸ λόγον ἔχον* sive *τὸ λογιστικόν=νοῦν*); et illam quidem a patre generari et traduci in natum, hanc vero extrinsecus (*θύραθεν*) in partum introire et ita cum illa convenire, ut ambae totam animam efficiant.[77]) Consimiliter Clemens Strom. VI, 16 pg. 808: „Haec est (enim) hominis formatio (*πλάσις*): Intromittitur", ut jam antea audivimus, „anima et intromittitur quidem *τὸ ἡγεμονικόν*, quo ratiocinamur, quod non generatur *κατὰ τὴν τοῦ σπέρματος καταβολήν*. Nam ordine ubi genitus homo est, initium vitae ducit ab eis, quae passionibus sunt obnoxia (*ἀπὸ τῶν παθητικῶν*). *Τὸ λογιστικόν* igitur et *ἡγεμονικόν* dicimus animali esse causam constitutionis (*αἴτιον τῆς συστάσεως*), sed etiam *τὸ ἄλογον* et esse animatum (*ἐψυχῶσθαι*) et esse constitutionis partem. Idem *ἡγεμονικόν* facultatem habet libere eligendi, in qua (sunt) inquisitio, scientia, cognitio.[78]) — Jam vitalem quidem vim, qua nutriendi continetur facultas et augendi et omnino movendi, sortitum est *τὸ πνεῦμα τὸ σαρκικόν* etc."

Hic jam juvat paullisper insistere et propositam Clementis doctrinam perlustrare. Quam qui consideraverit, negare vix poterit, aliud Clementi esse *τὸ λογιστικόν* et *ἡγεμονικόν*, aliud *τὸ ἄλογον* et *σαρκικόν* neque eandem esse utriusque originem et naturam. Quae sit origo *τοῦ ἀλόγου*, diserte

---

[74]) Strom. VII, pg 837 sq. — De „imagine imaginis" et „tertia Dei imagine" similiter jam sensisse Philonem, jam adnotavit Daehne, Geschichtl. Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Religionsphilosophie I. Halle 1834 p. 297.

[75]) Cohort. 4 pg. 52; 12 pg. 94 sq.

[76]) Strom. VI, 16 pg. 807 sq.

[77]) Ethic. Nic. I, 13. VI, 1—2. Metaph. α. 1.

[78]) Strom. VI, 16 pg. 808: *τὴν προαιρετικὴν τὸ ἡγεμονικὸν ἔχει δύναμιν, περὶ ἣν ἡ ζήτησις καὶ ἡ μάθησις καὶ ἡ γνῶσις.*

quidem non eloquitur; sed quin crediderit, hoc generari a parentibus neque a Deo immitti, tanto minus in dubium vocaverim, quanto certius et diligentius pronuntiavit, *τὸ λογιστικόν* non generari a parentibus, sed a Deo immitti. Atqui *τὸ λογιστικόν* immitti nemini potest nisi homini genito: initium igitur vitae ab eis quisque naturae suae partibus trahit, quae a parentibus gignuntur quaeque sic sunt comparatae, ut rebus visis pellantur et ita patiantur, i. e. *ἀπὸ τῶν παθητικῶν*. Sed simul genitus homo est, a Deo accipit *τὸ λογιστικόν*, quod quum sit *ἡγεμονικόν* idem et *αἴτιον τῆς συστάσεως*, non solum *τὰ παθητικά* sed etiam *τὸ ἄλογον* et *σαρκικόν* ordinat et componit sibique ipsi adjungit. Ita ea oritur *τοῦ λογιστικοῦ* et *τοῦ ἀλόγου* conjunctio et constitutio, ex qua fit, ut ambo in unum coeant totamque hominis animam expleant Quae igitur in principio duae fuerunt animae, eae homine genito, quum naturali vinculo inter se jungerentur, jam duae sunt animae partes atque vires. Revera Clemens pariter *τὸ ἄλογον* ac *τὸ λογικόν* animae vocat partem (*μέρος τῆς ψυχῆς*) unaque ambo voce *ψυχῆς* comprehendit, et quas hic aut *τῷ λογικῷ* aut *τῷ ἀλόγῳ* attribuit vires et actiones, eas illic attribuit *τῇ ψυχῇ*.[79]) — Atque de viribus *τοῦ ἀλόγου* paullo infra videbimus; *τὸ λογικόν* autem eo de quo agitur loco duas vires habere dicitur. Primum enim ratiocinandi habet vim, cujus est inquirere, scire (discere), cognoscere, deinde liberam voluntatem, cujus est eligere id atque facere, quod maxime placuerit. Principatum igitur in homine tenet nec sine causa vocatur *τὸ ἡγεμονικόν*, cui ceterae partes obediant oportet[80]). Praestantissima autem ratiocinandi facultas et quae hominem ab omnibus animalibus vel maxime discernit, in eo vertitur, quod rerum notiones sola mente fingit suaque ipsius intelligentia percipit *τὰ νοητά*.[81]) Ceterum haec cognoscendi facultas tam propria est *τοῦ λογικοῦ*, ut ea agente quasi cibo quodam nutriatur. Quare quum Clemens dicit *τὸ λογικόν*, ad eam potissimum respicit vim, qua intelligimus et cognoscimus.[82]) Sed easdem ipsas quas modo commemoravi vires *τοῦ λογικοῦ* permultis locis adjudicat *τῇ ψυχῇ* neque minus hanc quam illud ait cogitare et ratiocinari.[83]) Similiter ei facultatem eligendi tribuit; velle enim est proprium animae munus.[84]) Itaque *τὸ λογιστικόν*, quod idem est *ἡγεμονικόν*, ex sententia Clementis ea pars est animae, in qua insunt ratio et liberum arbitrium.

„Jam vitalem quidem vim (*τὴν μὲν ζωτικὴν δύναμιν*), qua nutriendi continetur facultas et augendi et omnino movendi (*τὸ θρεπτικόν τε καὶ αὐξητικὸν καὶ καθ' ὅλον κινητικόν*) sortitum est *τὸ πνεῦμα τὸ σαρκικόν*, quod facile movetur (*ὀξυκίνητον*) et per sensus (*αἰσθήσεις*) et reliquum corpus pervadit et per corpus primum patitur (*πρωτοπαθοῦν διὰ σώματος*). Verumenimvero omnia sunt ita ordinata, ut referantur ad unum *ἡγεμονικόν* (*ἀλλὰ γὰρ ἡ πάντων ἀναφορὰ εἰς ἓν συντέτακται τὸ ἡγεμονικόν*); et propter hoc vivit homo et certo quodam modo vivit.“[85]) *Τὸ πνεῦμα*, quod Clemens hic vocat *σαρκικόν* et infra *σωματικόν*, idem esse atque *τὸ ἄλογον*, per se intelligitur. Huic igitur vim adscribit vitalem, quae omnes illas et singulas facultates complectitur, quibus homo utitur ad conservandam vitam et propagandam. Quae quales sint et quid sit cujusque maxime suum, jam ex vocibus perspicitur, quibus eas appellat. Et has quidem ab eodem repetiisse videtur Aristotele; qui docet, praeter *τὸ λογιστικόν*, quod hominis sit solius, cum plantis eum communia habere *τὸ θρεπτικόν* et *τὸ αὐξητικόν*, cum brutis animalibus *τὸ αἰσθητικόν* et *τὸ κινητικόν*, eaque omnia comprehendi *τῷ*

---

79) Strom. III pg. 538. VI pg. 808 VII, 6 pg. 849. Paedag. III pg. 250.
80) Paedag. l. c. sq. Strom. III, 10 pg. 542.
81) Strom. VI, 1 pg. 737. VIII pg 917, pg. 925 sqq.
82) Cf. Reinkens, De Clemente presbyt. Alexandr. etc. Vratislaviae 1851 p. 293 sqq.
83) Paedag. II, 9 pg. 219 Strom. IV, 3 pg. 567; saepius.
84) Strom. II, 6 pg. 443: *ἔργον δὲ ψυχῆς τὸ μὲν βούλεσθαι.* Cf. Strom. I, 17 pg. 368.
85) Strom. VI, 16 pg. 808.

ἀλόγῳ.[86]) Τὸ κινητικόν accuratius definit Clemens ὀξυκίνητον et πρωτοπαθοῦν διὰ σώματος; diffusum enim „per sensus et reliquum corpus" omnibus eis, quibus sensus corporis magis minus moventur, pariter movetur et ipsum, itaque „per corpus primum patitur." Sed „omnia referuntur ad unum ἡγεμονικόν", quod ea condicione a Deo generatum est, ut omnes partes τοῦ ἀλόγου et actiones vi sua tamquam vinculo contineat et ad unitatem reducat omnesque sensuum motus moderetur atque regat. Quapropter homo non ita tantum vivit, ut vivunt cetera animalia, quae nutriuntur et augentur sensibusque ad actiones trahuntur, sed mentis suae compos „certo quodam modo vivit"; vivit enim sic, quemadmodum cogitaverit vivere et voluerit. „Namque δύναμις ἡ λογική, quae est animae humanae propria, non debet similiter appetere (ὁρμᾶν) atque animalia ratione carentia, sed visa sensus moventia discernere (διακρίνειν τὰς φαντασίας) neque eis provehi et abduci."[87]) Est igitur ὁ νοῦς in corpore tamquam gubernator (κυβερνήτης) in navi, cujus oculus est ratio, brachium libera voluntas.[88])

Praeter eas quas dixi vires Aristoteles τῷ ἀλόγῳ cupiditatem attribuit et omnino appetitum (τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικόν); in cupiditate enim philosophus non totum cernit ὀρεκτικόν, ad quod etiam pertinet ira (ὁ θυμός, τὸ θυμικόν); et in libris, quos inscripsit περὶ ψυχῆς, eidem ἀλόγῳ adscribit αἴσθησιν, ἡδονήν, λύπην. Insuper, ut omittam cetera, τὸ ἄλογον intelligit eam esse hominis partem, per quam τὸ λογικόν sive ὁ νοῦς ad rerum usum perveniat et id, quod intendat, perficiat.[89]) Persimilis de eadem re sententia est Clementis, qui quidem hoc idem contendit, πνεῦμα τὸ σωματικόν = τὸ ἄλογον tum concupiscendi, irascendi, sentiendi etc. habere facultatem, tum aperire viam, quam τὸ λογιστικόν ingrediatur, ut ea, quae extra sunt, attingat et procedat ad agendum. Dicit enim haec: „Per corporeum (igitur) spiritum homo sentit, concupiscit, laetatur, irascitur (alitur, augetur); quin etiam per eum ad actiones, quas conceperunt, mens et intelligentia progrediuntur."[90]) Strom. VI, 8 pg. 774 sq. eam animae vim, a qua proxime actiones proficiscuntur, cum Graecis appellat ὁρμήν, quam cum Cicerone latine reddimus appetitum sive appetitionem, eamque invenit motum esse animae, qui assensionem quandam sequatur[91]) hominemque ad actionem excitet. Quae autem cognitionem inter et appetitum ratio intercedat, exponit sic: „Duae sunt vires animae (δυνάμεις τῆς ψυχῆς), vis cognoscendi et vis appetendi (γνῶσίς τε καὶ ὁρμή). Qui enim ad aliquam actionem impellitur, ante actionem accipit cognitionem, deinde appetitionem. Consideremus quoque hoc. Quoniam discere antiquius est quam agere — naturaliter enim qui agit, id quod vult agere, prius discit — cognitio quidem ex doctrina est, cognitionem autem sequitur appetitio, appetitionem vero actio, ita ut omnis, quae ratione suscipitur, actionis principium et conditor videatur esse cognitio. Quapropter jure hac

---

86) Ethic. Nic. ll. cc.

87) Strom. II, 20 pg. 487. — Duobus illis verbis διακρίνειν φαντασίας Stoici potissimum utebantur, qui quum putarent, omnem cognitionem positam esse in visionibus (φαντασίαις), κριτήριον quaerebant, quo possent veras a falsis discernere (διακρίνειν) et ita cognoscere, num quae ex illis mererentur assensionem (συγκατάθεσιν).

88) Paedag. II, 2 pg. 183.

89) Eth. Eud. II, 7, 10. Cf. Ziegert l. c. pgg. 16, 34, 36.

90) Strom. VI, 16 pg. 808: διὰ τοῦ σωματικοῦ (ἄρα) πνεύματος αἰσθάνεται ὁ ἄνθρωπος, ἐπιθυμεῖ, ἥδεται, ὀργίζεται (τρέφεται, αὔξεται)· καὶ δὴ καὶ πρὸς τὰς πράξεας διὰ τούτου πορεύεται τὰ κατ' ἔννοιάν τε καὶ διάνοιαν. — Subjectum, ut ajunt grammatici, in extrema parte hujus loci est: τὰ κατ' ἔννοιάν τε καὶ διάνοιαν i. e. eae vires, quae circa cogitationem et intelligentiam vertuntur et continentur τῷ λογικῷ. Has igitur Clemens ait per τὸ ἄλογον aggredi actiones, quae pertinent ad res externas. Sed fortasse legendum erit: τὰς κατ' ἔννοιαν κτλ. et vertendum: quin etiam per eum (sc. spiritum corporeum) homo aggreditur actiones secundum mentem et intelligentiam i. e. ad eam quam mens et intelligentia conceperunt agendi normam. — Ceterum hac Clementis sententia revocari mihi videor ad διάνοιαν πρακτικήν, quam vocat Aristoteles.

91) Εὑρίσκεται δ' ἡ ὁρμὴ μετά τινα συγκατάθεσιν κίνησις εἶναι.

sola proprietas animae ratione praeditae designatur." [92]) Quod enim naturae hominis eximium inest et suam cuique formam ac notam tribuit, id in mente situm est [93]) — Sed redeamus ad *διςσὰ πνεύματα* et quae praeterea apud Clementem de partibus animae dicta sunt, in medium proferamus.

Quoniam alio inclinat *τὸ λογικὸν* (*ἡγεμονικόν*), alio *τὸ ἄλογον* (*σαρκικόν*), et hoc quidem voluptaria quaerit, illud honesta expetit, fieri non potest, quin alterum pugnet cum altero. „Quumque vicerit (homo) cupiditates, regnat *τὸ ἡγεμονικόν*. Illud igitur: „Non concupisces" idem significat atque hoc: „Non servies *τῷ σαρκικῷ πνεύματι*, sed ei imperabis"; namque „caro concupiscit adversus spiritum" (Gal. 5, 17) et exsurgit, ut turpiter se gerat praeter naturam, et „spiritus adversus carnem" imperium ad id obtinet, ut vitam dirigat ad naturam hominis (*εἰς τὴν κατὰ φύσιν τοῦ ἀνθρώπου διεξαγωγήν*)." [94]) Et haec quidem in aperto sunt.

Sed aliis locis Clemens non duas partes animae cum Aristotele, sed cum Platone tres statuere videtur. „Insunt", inquit, [95]) „(in anima) tres quidem: *θυμός, ἐπιθυμία, λογισμός*", de quibus quid sentiat verbis explicat his: „Quum anima sit triplex (*τριγενής*), *τὸ νοερόν*, quod nominatur *λογιστικόν*, homo est interior (*ὁ ἄνθρωπος ὁ ἔνδον*), qui imperat homini huic exteriori, quem cernimus (*τῷ φαινομένῳ τῷδε*); illum ipsum autem alius agit, Deus. *Τὸ δὲ θυμικόν*, quod beluarum ritu ferum est (*θηριῶδες ὄν*), haud ita procul ab insania habitat. In plurimas autem formas se mutat tertium, *τὸ ἐπιθυμητικόν*, quod magis quam Proteus, marinus ille daemon varians, modo hunc modo illum habitum induit et pellicit ad libidines, stupra, adulteria". [96]) Verumtamen has tres partes Clemens ipse ad partes reducit duas, *τὸ θυμικόν* scilicet, quod cum Platone etiam beluis attribuit, non minus *τῷ ἀλόγῳ* addicens quam *τὸ ἐπιθυμητικόν*. Quod enim in cantico Moysis (Exod. 15, 1 sq.) legimus de Pharaone ejusque exercitu aqua mersis, id explicat idem et transfert ad animam ejusque motus et cupiditates sic: „Passionem multiplicem, et turbidam vim appetendi et cupiditatem (*τὸ ὁρμητικὸν πάθος καὶ τὴν ἐπιθυμίαν*), una cum ejus auriga, qui habenas remiserat voluptatibus, in mare projecit, in mundi quidem dejiciens tumultus et perturbationes. Ita etiam Plato in libro, qui est de anima, et aurigam et equum, qui defecerat, dico partem rationis expertem (*τὸ ἄλογον μέρος*), quae bipartito dividitur in iram (*θυμόν*)

---

[92]) Strom. VI, 8 pg. 774: *ἀρχὴ καὶ δημιουργὸς πάσης λογικῆς πράξεως ἡ γνῶσις εἴη ἄν· ὥστ' αὖ εἰκότως ταύτῃ μόνῃ χαρακτηρίζεται ἡ τῆς λογικῆς ἰδιότης ψυχῆς.*

[93]) Strom. VI, 9 pg. 776: *τὸ γὰρ εἶδος ἑκάστου ὁ νοῦς, ᾧ χαρακτηριζόμεθα.* Cf. Strom. II, 11 pg. 455. III, 5 pg. 530. IV, 22 pg. 627, 629. — Sed uno loco Clemens *ψυχήν* et *νοῦν* una comprehendit et a *λογισμῷ* distinguit, hunc intelligens illis potiorem et a virtute propiorem. De variis enim pugnandi generibus disputans: „(Nam) arma", inquit, „et repugnantia animalia *ψυχὴ καὶ νοῦς* ordinant, *ψυχῆς* autem motus, in quos virtutis ope dominamur, ordinat *λογισμός*, qui continentiam et temperantiam cum sanctitate et bonam cognitionem cum veritate obsignat et omnia demum ad pietatem Deique cultum refert." Strom. I, 24 pg. 417.

[94]) Ziegert l. c. p. 36 hunc locum interpretatur sic: „Da das *σαρκικόν* oder *σωματικὸν πνεῦμα* in engster Beziehung zur *σάρξ* steht, so kommt es in einen Streit mit den in ihr wohnenden *ἐπιθυμίαι* . . . Daher das biblische Citat . . . Nach dieser Stelle hat *τὸ ἄλογον* oder *τὸ σαρκικὸν πνεῦμα* die Bestimmung, die *ἐπιθυμίαι* zu bekämpfen und wo möglich zu besiegen, nicht das *ἡγεμονικόν*. Wenn ihm, dem *ἄλογον*, dieser Kampf gelingt, dann herrscht das *ἡγεμονικόν*." Mira Z. nobis videtur narrare. Nam quaero: nonne *τὸ ἄλογον* sive *σαρκικὸν πνεῦμα* id ipsum est, quod concupiscit? „Neque enim corporis est appetitio, etiamsi fiat per corpus" (Strom. III, 4 pg. 526). Et fingamus, carnem concupiscere per se ipsam, tamen eaedem carnis, quae *τοῦ σαρκικοῦ πνεύματος* erunt cupiditates, neque igitur idem *πνεῦμα* pugnabit cum cupiditatibus, quas id ipsum fovet! Et *τὸ ἡγεμονικόν* num forte imperabit et regnabit, quum otiosum spectatorem pugnae se praebuerit? Cf. Strom. VII, 12 pg. 880, ubi Clemens gnosticum christianum ait „insurgere adversus animam corpoream (*σωματικὴν ψυχήν*), frenum injicientem *τῷ ἀλόγῳ πνεύματι*; nam carnem concupiscere adversus spiritum."

[95]) Strom. III, 10 pg. 542.

[96]) Paedag. III, 1 pg. 250.

et cupiditatem (*ἐπιθυμίαν*), dicit decidere.“ [97]) Et sane Clemens censet, *τὸ θυμικόν* propinquum esse *τῷ ἐπιθυμητικῷ*; illud enim Ephes. 4,26: „Sol autem ne occidat vobis super iracundiam“ cum Exod. 20, 17: „Non concupisces“ conjungens definit: „*Θυμός* (enim) dicitur *ὁρμὴ ἐπιθυμίας* mansuetae et lenis animae ultionem appetentis sine ratione (*ἀλόγως*).“ [98])

Manet igitur, Clementem duas partes animae numerare sive *δισσὰ πνεύματα, τὸ λογικὸν* (*νοερὸν, ἡγεμονικόν*) et *τὸ ἄλογον* (*σαρκικὸν, σωματικόν*), quorum in altero ira inest et cupiditas. Quod autem, ut supra vidimus, *τὸ νοερόν* hominem vocat interiorem eique opponit exteriorem, cui *τὸ ἄλογον* cum *θυμικῷ* et *ἐπιθυμητικῷ* adscribit, id ei est usitatissimum [99]) et facile intellectu. Etenim *τὸ λογικόν* occultum est in homine et *τὰ νοητά*, quae sensus corporis effugiunt, mente comprehendit, contra *τὸ ἄλογον* in iram libidinesque effunditur et *τὰ αἰσθητά*, quae extra sunt posita, sensibus percipit atque appetit. [100]) — Strom. VI, 6 pg. 766 Clemens *τὸ λογικόν* simpliciter nominat animam (*ψυχήν*) eamque a corpore et spiritu corporeo ita distinguit, ut illam dicat „subtiliorem esse et quae propter subtilitatem et simplicitatem (*διὰ λεπτότητα καὶ ἁπλότητα*) aquis diluvii minime potuerit superari; „quod autem per se crassum sit et crassius evaserit ex peccato, id una cum *σαρκικῷ πνεύματι* abjici.“ Denique uno loco partes naturae humanae numerat has: *σάρκα καὶ ψυχὴν καὶ πνεῦμα*, neque tamen accuratius explicat. Vides, Clementem non eandem ubique vim subjicere verbo *ψυχῆς* neque eisdem ubique verbis significare hominis partes. Sed hoc pro explorato habeo, eum illorum veterum opinioni, qui corpus inter et animam ratione praeditam medium quoddam in homine idque animatum statuerunt, suffragium tulisse. Quodsi sexcenties dixit, hominem e corpore constare

---

[97]) Strom. V, 8 pg. 678 sq. – Satis aperte Clemens mihi videtur eloqui, quid de anima triplici sentiat. Quapropter non est, cur assentiam Walchio, qui „quo sensu effatum ejus de triplici anima sit intelligendum, vix intelligi posse“ censet. Miscell. s. p 555. Sed discedo etiam a Nourrii sententia, „Clementi triplicem animam nihil esse aliud nisi unam eandemque animam spiritualem et rationalem, triplici facultate, seu ut loquuntur philosophi et theologi, tribus potentiis praeditam.“ Dissert. I. cap. VI art. II. Judice Clemente tria illa, *τὸ λογικόν* et *τὸ θυμικόν* et *τὸ ἐπιθυμητικόν*, sive potius duo illa, *τὸ λογικόν* et *τὸ ἄλογον*, in unum quoddam convenire, id quidem ipsi supra probavimus; at vero nos *τὸ ἄλογον* et quae in eo insunt *τὸ θυμικόν* et *τὸ ἐπιθυμητικόν* in facultatibus seu potentiis *τοῦ λογικοῦ* ponere, verba Clementis non patiuntur.

[98]) Strom. V, 5 pg. 661. Cf. Strom. III, 9 pg. 540. — Quod Clemens dixit *τὸν θυμόν* pertinere ad *τὴν ἐπιθυμίαν*, id Potter l. c. ostendit ex Stoicorum scriptis petitum esse. Affert Stobaeum in eclogis ethicis (cap. de affectibus) Stoicorum de hac re dogma describentem sic: „*ὑπὸ μὲν οὖν ἐπιθυμίαν ὑπάγεται τὰ τοιαῦτα, ὀργὴ καὶ τὰ εἴδη αὐτῆς, θυμὸς καὶ χόλος κτλ.*“; item Ciceronem (Tuscul. IV): „Libidini subjecta sunt ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia et cetera hujusmodi.“ Mansuetae autem lenique animae Clemens fortasse ideo tribuit *τὸν θυμόν*, quod ira plerumque sit brevis et quae facile sedari possit.

[99]) Cohort. 10 pg. 79; 11 pg. 89. Paedag. II, 5 pg. 195; 9 pg. 219; III, 1 pg. 250 sq. Strom. III, 4 pg. 526; 9 pg. 540. — Quia ubique *τὸ νοερόν = ψυχὴ λογική* hominem significat interiorem, *τὸ θυμικόν* autem et *ἐπιθυμητικόν = ψυχὴ σαρκική* ad exteriorem hominem = corpus refertur, Reinkens (l. c. pp. 288 et 290) concludit, *ψυχὴν σαρκικήν* a Clemente intellectam esse „vim corporis vitalem sive ipsum corpus vivum“. Esse „vim corporis vitalem“, Clemens plane docuit; esse „ipsum corpus vivum“, non minus plane negavit. Nam Strom. VI, 16 pg. 808, ubi proprie agit de hac re, diserte *πνεῦμα σαρκικόν*, quod vim corporis vitalem contineat, ab ipso corpore distinguit, nec sine causa Strom. III, 4 pg. 526 negat, appetitionem esse corporis, etiamsi fiat per corpus. Et quis tandem contendet, *δισσά* illa *πνεύματα*, quae iterum et saepius commemorat, ab eo intellecta esse animam et corpus? Affert praeterea Reinkens Strom. V, 14 pg. 699: *φασὶ γὰρ σῶμα εἶναι τὸν θεὸν οἱ Στωικοὶ καὶ πνεῦμα κατ' οὐσίαν, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὴν ψυχήν*, ubi R. voce *ψυχῆς* totam ait significari hominis naturam (?), et corpus et animam. Sed ut concedamus, Stoicorum doctrinam esse e sententia Clementis, tamen hic locus tam singularis est et obscurus, ut certi quidquam et quod rem ad liquidum redigat, ex eo vix effici possit. Recte autem Reinkens: „Vocabulis“, inquit, „non utitur (Clemens) stabili modo et constanti.“ Quod quum de aliis vocabulis tum vero maxime de voce *ψυχῆς* affirmaverim, quae apud Clementem modo *τὸ λογικόν*, modo ceteras quoque animae partes significat.

[100]) Strom. VI, 16 pg. 809: *ὡς αἴσθησις πρὸς τὸ αἰσθητὸν, οὕτω νόησις πρὸς τὸ νοητόν.*

et anima,[101]) id dicere vix potuit, nisi medium illud cum anima in unum conjunctum esse voluit et sicut partem animae habuit (*ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς*).

Strom. VI, 16 pg. 808 et Strom. II, 11 pg. 455 Clemens vel decem partes viresque hominis enumerat, quarum plurimas jam numeraverunt Stoici. Sed priore loco haud obscure ipse significat, hanc non magis partitionem esse quam similitudinem;[102]) est enim nihil aliud nisi allegorica decalogi ad naturam humanam translatio, quae ad rem eo minus facit, quod altero loco non prorsus eaedem partes afferuntur. Hic nominantur *σῶμα, ψυχὴ, πέντε αἰσθήσεις, τὸ φωνητικὸν, τὸ σπερματικὸν, τὸ διανοητικὸν ἢ πνευματικόν*, illic *τὰ αἰσθητήρια πέντε, τὸ φωνητικὸν, τὸ σπερματικὸν, τὸ κατὰ τὴν πλάσιν πνευματικὸν* (*=πνεῦμα πλασθὲν = πν. σαρκικὸν*), *τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς, τὸ διὰ πίστεως προσγινόμενον ἁγίου πνεύματος χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα* (ea quae per fidem accedit Spiritus sancti formam et characterem tribuens proprietas) Quod autem proximum est in hac serie, id jam non naturale sed adventicium esse et gratiae divinae donum, non opus est explanare.

---

[101]) Adjicio locum hunc ex Paedag. I, pg. 101: „Bonus paedagogus, qui sapientia, qui verbum est patris, qui formavit hominem, totius operis (*ὅλον τοῦ πλάσματος*) curam gerit ejusque corpori et animae (*καὶ σώματι καὶ ψυχῇ*) medetur, qui omni ex parte naturae humanae (*ἀνθρωπότητος*) idoneus est medicus, Salvator.“

[102]) Strom. VI, 16 pg. 808: *ἔστι καὶ δεκάς τις περὶ τὸν ἄνθρωπον αὐτόν.*

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Antonius Kranich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Apologeticae alteram partem tradet bis hebdomade horis deff.
II. De gratia Salvatoris et de justificatione peccatoris dogmatice disseret ter vel quater hebd. hor. deff.
III. De creatione mundi disputabit semel vel bis hebd. hor. def.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. Doctrinae de sacramentis partem tertiam et ultimam exhibebit, in qua quae residua sunt absolventur, quater hebd. hor. X.
II. Repetitiones instituet examinandi et disputandi causa semel hebd. die sabbathi.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis quinquies,
II. novissimi temporis semel enarrabit hebd. hor. IX.
III. De arte christiana disseret semel hebd. hor. def.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Psalmos selectos interpretabitur bis hebd. hor. VIII.
II. Evangelium Johanneum explicabit ter hebd. hor. VIII.
III. Antiquitates sacras Hebraeorum dabit hor. deff.
IV. Repetitiones exegeticas instituet semel hor. def.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem generalem docere perget quinquies hebd. hor. XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis capitibus ethices christianae instituet semel hebd. hor. XI.
III. Apologetarum veterum vitas et scripta tractabit semel hebd. hor. def.

Dr. Josephus Kolberg.

Historiam ecclesiasticam inde ab anno 1517 usque ad annum 1648 enarrabit ter hebd. hor. deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Victor Röhrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam Warmiensem tradere perget bis hebdomade hora XI.
II. Historiam recentioris aetatis inde ab anno 1789 enarrabit bis hebdomade hora XI.
III. Ethnographiae capita selecta docebit semel hebdomade hora XI.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. O.

I. S. Augustini Confessiones cum commilitonibus leget bis hebdomade hora IX.
II. De arte antiqua disseret bis hebdomade hora IX.
III. Inscriptiones christianas interpretabitur semel hebdomade hora IX.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

I. Psychologiam tradet ter hebdomade hora X.
II. Metaphysicam docebit ter hebdomade hora X.
III. De arte catechetica disseret horis deff.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O.

I. Botanicen generalem docebit ter hebdomade hora VIII.
II. Exercitationes anatomico-botanicas microscopio instituet semel hebdomade hora definienda.
III. De mineralogicis disseret semel hebdomade hora VIII.
IV. Elementa astronomiae et geographiae mathematicae tradet semel hebdomade hora VIII.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Apparatum arti christanae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**
III Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**
IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr. Niedenzu.**